




DE RHETORICÆ  
 ECCLESIASTICÆ UTILI-  
 tate; deque authoris instituto,  
 Præfatio ad pium & candi-  
 dum Lectorem.

 **R**ATORIS Ecclesiastici  
 munere nullum est in humanis  
 rebus dignius, præstantius nul-  
 lum; cum scilicet non ex corru-  
 pto vulgi sensu, sed ex seipso æstimatur & na-  
 tura sua. Etenim si vocationem eius spectes,  
 omnium maximè diuina est; quàm qui acce-  
 pit, legatione pro Christo fungitur, & in terris  
 representat personam Dei, quem ipsum sua  
 voce docentem huius vitæ imbecillitas audire  
 non sustinet. Sin finem cogitemus muneris,  
 rectâ ad salutem ducit, & visum ita Deo est,  
 hac ministerii ordinaria voce ac via electos  
 suos ad vitam colligere; reliquos reddere inex-  
 cusabiles si perdantur, cum in ministrorum  
 voce Dei ipsius vocem despectui habuerint.  
 Sin porro ad eos circumspicias, qui hoc munere  
 functi sunt, reperies sanctissimos quosque à

con-